



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 3. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

RATIO. Quia hoc dedecet sanctitatem divinam, ideo dare auxilium: quia cum illo est aliquis peccaturus. Nec convenit serio desiderio consequendæ etiam per auxilium sufficiens operationis, quantum est à parte Dei.

DIVISI sunt auctores circa hæc asserta: quia quidam dicunt necessariam esse in Deo directionem scientiæ conditionatæ in collatione auxilii pro statu absoluto, titulo infinitæ scientiæ divinæ, & non titulo providentiæ. Hanc sententiam defendit Arriaga. d. 32. in 1. p. n. 43. Alii dicunt eam quidem esse Deo possibilem, defacto q; Deum illâ uti, sed non esse necessariam, ita docet Borrul. Priorem quidem partem a. num. 825. posteriorem a. num. 876. licet tandem fateatur sub disjunctione esse necessariam. Alii autem dicunt hanc directionem, non solum esse possibilem, usurpari q; de facto, sed etiam esse necessariam, ita post Suar. Vecken. de Deo d. 19. n. 24. solvendæ sunt contrariorum rationes.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Contra 3. Assertum.

DICES 1. ex Arriaga. Omnes causæ, quibus operatio indiget, in statu absoluto, debent necessariò apprehendi, in statu conditionato sub conditione *Si*. Ergo si in statu absoluto requiritur aliqua causa, illa debet prævideri in conditionato. At quia quæ desumuntur ex ipsa futuritione conditionata, qualis est scientia media, & illa quæ eam supponunt, non possunt ullo modo apprehendi ut causa in statu conditionato. Ergo.

RESPONDETUR. Omnis aliorum responsionibus, dici potest, quòd omnes causæ, quibus operatio indiget tanquam habentibus vim virium, & productivi in statu absoluto, debeant necessariò apprehendi in statu conditionato; non tamen omnes causæ, quibus operatio indiget, tanquam applicantibus vim agendi in statu absoluto, debeant necessariò apprehendi in statu conditionato. Respicit hæc responsio illud principium, quòd applicativa non diversificent effectus: & sic sive ignem applicet Deus sive homo, eadem erit entitativè ignitio. Quia autem scientia conditionata habet se non nisi per modum applicativi auxilii, quod prævidetur v.g. efficax, ideo non erit necesse ut præcedat collationem conditionatam conditionati auxilii, licet scientia conditionata præcedat collationem absolutam auxilii pro statu absoluto. Addi & hoc potest. Omnes causæ, à quibus effectus pendet pro statu absoluto ab iisdem pendet pro statu conditionato. Ab iisdem inquam, vel formaliter, vel in ordine ad intentum finem æquivalenter se habentibus, quæ hoc ipso non essent æquivalenter se habentes, si idem præstare non possent. Jam autem scientiæ condi-

tionatæ, quæ requiritur ad collationem auxilii, pro statu absoluto æquivalenter in ordine ad dirigendum scientia simplicis intelligentiæ: æquivalenter inquam, quia necessitas scientiæ conditionatæ est, ne cæco modo agat Deus, sed prævideat id quod prævideri potest in antè, quod quia antecedenter ad statum conditionatum sufficienter præstat scientia simplicis intelligentiæ, sit ut æquivalet scientia conditionata in ordine ad hunc actum, de quo in simili actum in 1. parte. Porro ista æquivalentia non utunque est accipienda: Nam pars materiæ B, & pars materiæ A æquivalent sibi, & tamen, eadem pars materiæ, pro statu conditionato, & pro statu absoluto, debet constituere compositum: quia non æquivalent sibi in ordine ad constituendum idem omnino individuum. Jam autem in ordine ad directionem, æquivalent sibi scientiæ: quia utrumq; facit, ut hîc & nunc non dicatur Deus operari cæco modo, sed modo, qui hîc & nunc in illo operandi modo requiritur.

DICES 2. cum eodem. Si Deus ad dandum absolutè auxilium necessariò requirit scientiam conditionatam. Ergo quando dicit, si dederò absolutè auxilium, debet ibi intelligi hoc: Si dederò cum scientia media auxilium, respondebit Petrus. Hoc autem non posse per eam scientiam dici, etiam nos fatemur: Effer enim idem ac dicere. Si dederò sciens futurum effectum, erit effectus; quòd ad scientiam necessariam pertinet, & esset ridicula cognitio. Ergo cum Deus per eam scientiam, etiam cognoscat providentiam suam perfectam, ideoque dicat. Si cum mea infinita providentia voluero dare auxilium Petro, ille respondebit, in ea autem providentia non includetur scientia media, evidenter fit, eam non esse simpliciter necessariam etiam ex parte Dei, ut det auxilium & concurret nobiscum.

RESPONDETUR. Negando collationem auxilii pro statu absoluto rectè explicari, si dederò auxilium pro statu absoluto sciens futurum effectum, erit effectus. Ratio, quia status absolutus, hoc ipso quia absolutus est non, involvit particulam *Si*. Rursus status absolutus, ita debet explicari, ut primò in eo ponantur, quæ primò præsupponuntur. Jam autem non ly *dederò* scientiæ, sed scientia prius præsupponitur datione. Deniq; debet exprimi nexus scientiæ non cum effectû, quòd sit vi scientiæ futurus, sed debet exprimi nexus cum datione, quæ datio fit ex prævisione effectûs, requiritur q; scientia tanquam dationis directiva. Si ergo potius formari debet propositio. Scio hoc auxilium habiturum effectum, doq; illud, quia volo fieri effectum: taliter autem explicata illa collatione auxilii, non sequentur ea, quæ pro absurdis infert Arriaga: non dicetur enim fore effectum: quia nescitur fore effectus, sed dicetur dari auxilium

auxilium habiturum effectum: quia datur ex prævisione futuri effectus. Deinde, concedamus interim prædicto modo debere explicari collationem auxilii efficacis, licet ratione nexus inter objectum, & scientiam, pertineat illud objectum ad scientiam necessariam, diverso tamen respectu pertinere potest ad scientiam conditionatam: quia respicit conditionatum effectum in se liberum, nullamque determinationem in causis habentem. Nec satis liquet, si pertineat illud objectum ad scientiam necessariam, quomodo sit illa ridicula cognitio, cum etiam cognitiones identicas involventes prædicatum aliquo modo distinctum à subjecto non appellemus ridiculas. Denique negatur, infinitam providentiam, adeoque prudentem posse stare sine scientia conditionata.

INSTAT Idem. Secundum S. Th. in causa libera ut tali, secundum ea, quæ se tenent ex parte actus primi non potest cognosci effectus infallibiliter futurus; ita etiam providentia Dei, quæ se tenet ex parte actus primi, non exigit certitudinem infallibilem de effectu liberè futuro, solum ergo requirit ut cognoscat quando dat auxilium, quid possit ex illo sequi.

RESPONDETUR. Si in causis indeterminatis acceptis non cognoscatur effectus infallibiliter futurus, nullum est absurdum; est autem absurdum: Si providentia Dei, tenens se quid ex parte actus primi, determinata tamen ad infallibiliter consequendum effectum, non habeat certitudinem, cum possit illam habere salvâ libertate, & debeat habere ne dicatur Deus ex modo operari. Quanquam dici potest, providentiam quidem esse necessariam in actu primo ad consensum, sed non providentiam specialem, quæ jam innititur scientiæ conditionatæ.

DICES 3, cum Borrul. a. num. 820. Si scientia media consensus esset necessaria ad decernendum auxilium reipsa efficax; esset quoque necessaria ad existentiam consensus, ad existentiam consensus necessaria non est. Quod ipsum probatur. Si scientia media consensus esset necessaria ut ego consentirem, in eo, qui dissentit, non esset potestas proxima consentiendi: cui enim deest requisitum simpliciter ad consentiendum, cujus acquisitio non est in manu ipsius, deest quoque potestas proxima consentiendi; dissentienti autem deest requisitum scientiæ consensus. Ut nemo dubitat, & hoc requisitum acquirere non est in manu dissentientis. Quod ipsum probatur. Si enim hoc requisitum scientiæ consensus acquirere esset in manu dissentientis, duplici id vi contingere posset, vel dissentiendo, & hoc non: quia scientia consensus non acquiritur dissensu, sed excluditur, vel consentiendo, & ne sic quidem potest acquiri: Nam id, ad quod necessario supponitur existentia alterius, non potest

esse acquisitio primariæ existentie illius. Sic quia primum auxilium est simpliciter requisitum tam ad consensum, quam ad dissensum, neque consensus neque dissensus, possunt esse acquisitio primi auxilii: quia cognitio & voluntas sunt requisita ad amorem, amor non est acquisitio cognitionis & voluntatis. Prædeterminatio item, quia est necessaria ad consensum, non acquiritur consensu, scientia autem media consensus necessario præsupponitur ad consensum.

RESPONDETUR. Imprimis. Retorquendo Argumentum: cum enim arguens dicas requiri disjunctivè scientiam conditionatam, vel assensum vel dissensum solvendum etiam ei erit argumentum. Directè autem dici potest, quod si ad consensum requisita esset scientia consensus per modum causæ, virium, & principii operativi, carens illa careret necessario requisito. Sed quia illa habet se non nisi per modum applicantis, & quia scientiæ conditionatæ assensus æquivalet in ratione directivi, scientia conditionata dissensus, fit ut adhuc dissentiens non careat necessario prærequisito. Addo, quod scientia conditionata requiratur quidem antecederet ad consensum absolutum; sed non antecederet ad consensum conditionatum, & quia pro statu absoluto habetur potestas in dissentiente, ut ponat consensum, fit ut in ejus potestate sit, ut præfuisset scientia conditionata assensus, de quo alias.

INSTAT Idem. Meus consensus pendet essentialiter à voluntate divina, non solum cooperante, sed etiam auxilia præparante, pendet insuper à voluntate non solum ut voluntas est, sed etiam ut divina est, voluntas autem divina quæ talis, est perfectissimè operans. Ergo si directio scientiæ mediæ esset necessaria, ex parte perfectissimè operantis, esset quoque necessaria ex parte consensus.

RESPONDETUR. Concedo, quod meus consensus pendeat essentialiter à voluntate divina, etiam præparante auxilia, sed nego quod omnia, quæ requiruntur ad voluntatem præparantem, ad voluntatem perfectissimè operantem, habeant se per modum causæ ad effectum, sed possunt se habere per modum applicativorum, possunt non requiri pro uno statu, licet requirantur pro alio, adeoque non requiri ex parte consensus. Quia autem scientia conditionata habet se per modum applicantis, applicando scilicet voluntatem præparantem auxilia, ideo potest illa scientia non requiri ex parte consensus, poteritque illa applicatio fieri ab alia scientia, quæ æquivalet huic in ordine ad applicandum.

Continuatur Solutio.

DEcurro hic argumenta, quæ sibi opposuit Borrul. quod non sit possibilis directio scientiæ conditionatæ.

DICES

DICES 1. Deus non potest dirigi in distributione auxiliorum à scientia media futuri dissensus. Ergo neque à scientia media futuri consensus.

RESPONDETUR. Verum esse Antecedens. Si procedat simul de amore inefficaciæ, appetitūq; ne sit consensus. Falsum autem hoc sensu, quasi conferat auxilium sufficiens, nescius pro illo signo, quod non sit habiturum effectum, dando tale auxilium in pœnam v.g. peccati; hoc est, videndo quod non sit effectum habiturum.

DICES 2. Scientia conditionata non dirigit positionem auxilii pro statu conditionato. Ergo neque pro absoluto.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia nullam habet antecedentiam scientia conditionata ad statum conditionatum; consequenter, nec formalitatem dirigentis, habet autem hanc antecedentiam respectu status absoluti, & ex altera parte requiritur, ne Deus cœcè operetur.

DICES 3. Si scientia media dirigeret voluntatem dandi auxilium, ut fiat consensus, esset principium consensus. Id implicat, everteret enim libertatem: quia scientia media esset principium connexum cum consensu, & inconjunctibile cum dissensu, principium autem connexum cum consensu, & inconjunctibile cum dissensu, destruit libertatem.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Non enim esset principium, rigoroſe loquendo, sed applicatio principii. Dato etiam quod esset principium, nihil sequeretur absurdi: quia scientia est principium connexum, cum assensu ex suppositione consensus, estque inconjunctibile nonnisi ex dicta suppositione cum dissensu. Infallibilitas autem ex suppositione usus liberi arbitrii, non destruit libertatem.

DICES 4. Si Deus ex directione scientiæ conditionatæ daret mihi auxilium efficax, tunc cum eo auxilio non possem dissentire: hoc ipso enim illud auxilium esset & non esset efficax.

RESPONDETUR. Non possum ex suppositione Consequenti dissentire auxilio efficaci, sed si ex suppositione consequenti non possum illi auxilio efficaci dissentire, fit hoc salva libertate, quia suppositio consequens, & orta ex usu libertatis, non aufert libertatem, implicatque ex suppositione, ut cum consequenti illo auxilio dissentiam, licet non implicet secundum suppositionem antecedentem.

INSTAT. Deficiente præscientiâ futuri consensus sub hoc auxilio, non esset hoc auxilium, me autem dissentiente deficeret præscientia futuri consensus sub hoc auxilio. Ergo non esset hoc auxilium, aliunde autem esset: quia illi conjungerem dissensum. Ergo esset & non esset.

RESPONDETUR. Fore illud auxilium idem

quoad entitatem, sed non idem quoad suam connotatam, & formale.

DICES 5. Ex nostra sententia sequitur consequens implicatorium ex veris præmissis, quod est absurdum. Sequela probatur hoc syllogismo. Si Deus hoc auxilium prævideret inefficax ad consensum, non existeret hoc auxilium, sed si hoc auxilium coëxisteret cum dissensu, Deus prævideret illud inefficax ad auxilium. Ergo si hoc auxilium coëxisteret cum dissensu, non existeret hoc auxilium.

RESPONDETUR. Majorem esse veram, quod scilicet hoc auxilium non esset idem quoad suam connotatam, esset tamen idem quoad suam entitatem, quo sensu etiam consequens verum est.

DICES 6. Si Deus donaret mihi hoc auxilium ex directione scientiæ mediæ, sequeretur hoc auxilium, non præcedere meum consensum absolutum, quod est absurdum. Sequela probatur. Quia si ego non consentiam, neque existeret illud auxilium ex directione scientiæ mediæ, requisitum autem ad existentiam alicujus, supponere non potest existentiam illius.

RESPONDETUR. Borrul. Requisita esse quædam per modum effectus, & alia per modum principii vel concomitantis. Requisitum per modum effectus non debet habere rationem antecedentis, & quia scientia media requirit consensum absolutum tanquam effectum, fitur illud non prærequirat ante se.

DICES 7. Admissa directione scientiæ mediæ, prævisis omnibus auxiliis inefficacibus, potest Deus habere hoc decretum, Nolo existere in Petro ullum auxilium inefficax, hoc posito, Demus Deum donare Petro auxilium. A. eo dato auxilio non posset Petrus dissentire. Ergo nulla esset in illo libertas. Antecedens probatur. Quia in primis non posset dissentire conjungendo dissensum cum eo decreto, quia cum eo decreto inconjunctibilis est; neque potest dissentire impediendo Decretum: quia tunc tantum potest impedire Decretum de consensu, suo dissensu, quando decretum de assensu est connexum cum consensu; illud autem decretum non est connexum cum assensu: quia illud decretum existere potest non solum tunc consensu Petri, sed etiam quin ullum auxilium conferatur Petro.

RESPONDETUR. Duplex decretum cogitari potest, quo Deus dicat. Nolo existere in Petro ullum auxilium inefficax. 1. Non præconsultâ ullo modo libertate Petri, & sic conceditur totum; nempe tale decretum sublatum libertatem. Sed nego, tale Decretum formari secundum directionem scientiæ conditionatæ: quia illa præconsultat de usu conditionato nostræ libertatis; hic autem supponitur nulla fieri præconsultatio. 2. Decretum potest cogitari tale, quo Deus ex præconsulta nostra liber-

libertate formet tale decretum, dicatque: Nolo existeret in Petro ullum auxilium inefficax, cum tali decreto posset dissentire, licet nunquam sit dissensurus. Et si illud Decretum formatur præconsulta nostra libertate, dissentiendo posset impediri, licet non sit impediendum. Potest illud Decretum existeret, sine ullo consensu absoluto, sed non sine ullo etiam conditionato, cum supponatur in hoc Decreto ad salvandam libertatem consuli, quid esset homo acturus, *St.* Quia autem illud Decretum potest esse sine ullo consensu absoluto, poterit etiam esse, quin ullum auxilium absolute conferatur, licet conferatur conditionatè pro eventu conditionato.

Decurro item ea quæ opponi possent contra Asserptum 4. & 5.

DICES 1. Assumendo, quod Deus non attendat ad efficaciam in dandis auxiliis. Major beneficentia fuit decretum vocandi Judam ad Apostolatam in quo damnatus est, quam Decretum vocandi alterum ad statum matrimonii in quo salvatus est, & tamen Deus in vocatione Judæ non attendit ad efficaciam vocationis. Ergo major Dei beneficentia pensanda non est, ex vel in ordine, ad efficaciam vocationis.

RESPONDETUR. Majoritatem beneficentia finalem, majorem esse in vocatione ad matrimonium, sed inchoativè & objectivè major est beneficentia in vocatione ad Apostolatam. Attendit autem Deus vel maximè ad finalia.

INSTABIS. Beneficium æstimandum non est ex eventu pendente à libertate recipientis. Ergo beneficium vocationis non crescit ex bono uli illius, adeoque nec ex volitione boni tutus.

RESPONDETUR. Verum esse Antecedens, si ad conferentem non spectat facere ut ponatur eventus, quantumvis pendens à libertate recipientis, secus si pendeat à dante: Nam selectio illa, quæ est penes ipsum conferentem, verè adhuc est beneficium.

DICES 2. Eligere unum auxilium inefficax inter infinita efficacia, quibus permixtum est, contingere moraliter non potest, nisi ex industria seligatur inefficax.

RESPONDETUR. Si ly ex industria, significat agere positè præinformatione, quod non fit secutus eventus, verum est Antecedens. Si ly ex industria supponat pro inclinatione ad non servandum v.g. præceptum. Falsa est propositio, nec probatur.

DICES 3. Si Deus conferret auxilia inefficacia, non motus illorum inefficacia, id ideo esset: quia haberet serio desiderium salvandi omnes, non habet autem: quia qui evidentissimè scit medium futurum irritum, & nullatenus perfectum ad finem, ineptè, & imprudenter eligeret illud ex serio desiderio finis. Deus au-

tem scit evidentissimè auxilium purè sufficiens fore irritum.

RESPONDETUR. Deum non utcumque sed quantum ex illo habere desiderium efficax salvandi homines. Unde etiam dar media, quæ non sint quantum ex illo irrita, proportionando media fini, & intentioni. Cæterum qui evidentissimè scit medium, quantum ex conferente, fore omnino irritum imprudenter eligeret ex serio desiderio finis.

DICES 4. Si Deus attenderet ad efficaciam, id ideo esset, ut ita salvetur in hac collatione ratio major doni. Sed non salvabitur, quia in manu hominis esset illud beneficium: quia ipsa etiam scientia efficacia esset in manu hominis: nemini autem bene fit per hoc, quod habet in manu sua.

RESPONDETUR. Quamvis sit in manu hominis, ut sit illa scientia conditionata, exhibendo scilicet illi objectum, sine quo non posset esse; non est tamen in manu hominis ipsa collatio selectioque, sed tantum objectum collationis, collatione pendente à Deo, ad eum modum, quo, in manu est præfecti Thesauri, objectum collationis, collatio autem in manu Principis.

DICES 5. In manu hominis est, quod decretum collativum auxilii sit, vel non sit specialis benevolentia, consequenter ipse sibi, & non illi Deus specialiter benefaciet.

RESPONDETUR. In manu hominis est, quoad objectum specialis benevolentia, sed non est in manu ejus, quoad rationem voluntatis feligentis objectum; beneficium autem hoc, non debet spectari penes objectum, quod est consensus conditionatus: quia in consensibus conditionatis, pares sunt reprobi electis, sed penes collationem gratia connotantis illum consensum, quæ collatio est penes solum Deum.

NOTO. Si comparentur, scientia conditionata, & voluntas conferendi auxilium efficax ad objectum, quod est consensus conditionatus, in hoc sunt paria: quia sicut scientia conditionata prærequirit objectum scibile; ita & benevolentia, objectum specialis utilitatis. Sed in hoc est disparitas, quia Objectum illud, ita determinat scientiam, ut non possit non esse; ratione cujus videtur esse magis in manu creaturæ, scientia. Jam autem posito objecto, non determinatur Deus, ad dandam gratiam, tale Objectum connotantem; hinc tota ejus collatio erit benefica. Quod ulterius in hoc resolvitur, quod notitia sunt necessaria, selectiones autem sunt liberæ dispositionis.

INSTABIS. Ex dictis sequi, quod creaturæ saltem erit & non Dei, quod existat speciale beneficium: est enim creaturæ & non Dei, quod sit determinatio auxilii, & quidem indifferens ad consensum. Ergo sicut Dei est, quod existat specialis beneficentia, quia ejus est deter-

(L)

mina.

minatio ad illam, ita creaturæ erit, quod existat speciale beneficium, quia ejus est determinatio ad illud.

RESPONDETUR. Creaturæ esse, sed Dei gratiâ adjutæ, ut existat objectum beneficii specialis, sed non est creaturæ, ut ponatur ipsa exhibitio & collatio illius boni. Sic v. g. laborat subditus, ut habeat Dominus copiosam sementem, nec tamen sibi ipsi benefacit, sed benefacit ei Dominus, dando illam sementem. Cusoribus pecuniæ solvitur eadem pecunia, quam procuderunt, neque tamen cusores sibi benefaciunt, sed Princeps; ita & in præsentia.

DIFFICULTAS II.

Defenditur necessitas scientiæ conditionatæ.

GONET Tom. 2. de scientia Disput. 5. art. 2. & sequentibus. Impugnat scientiam conditionatam sub titulo scientiæ Mediæ, quæ argumenta ejus hinc pensanda, & vix quidem aliquid adferretur, quod non sit à nobis præstatum, in 1. parte. Illic tamen adlata, hic etiam applicari debebunt, & ea applicare in præsentia præstat. Sit

Punctum Difficultatis 1.

Argumenta ab auctoritate Augustini.

OBJICIT 1. Gonet Disp. 5. de scientia, a. 2. Scientia media fuit familiaris apud Semi-Pelagianos, quam tamen dicunt nostrates, à se esse inventam: & quod fuerit Semi-Pelagianis familiaris, probat hoc ex Fausto, qui agnovit eam independentem à decreto, quod etiam faciunt nostri.

RESPONDETUR. Constare, quod aliqui ex nostris, putarint hanc esse sententiam à se inventam, sed ubi? In Augustino; constat enim, illà usum fuisse S. Augustinum, nec de hoc est controversia ulla inter nos. Sed convenimus in hoc omnes, quod ea scientia conditionata, qualem defendunt nostri, non fuerit eadem cum ea, quæ utebantur Semi-Pelagiani, de quo egi 1. part. Disp. 4. Unde quantum ad præsens, dicitur, quod scientia conditionata, quæ utebantur Semi-Pelagiani, habuerit pro objecto consensum nostrum conditionatum, sed à viribus naturæ profectum, objectum autem scientiæ conditionatæ, quæ nos utimur, est consensus conditionatus, sed ex gratia conditionatè danda prævisus. Inde contra Faustum dicimus, quod ex prædestinatione Dei, (nomen Prædestinationis latius accipiendò, nempe etiam pro præparatione conditionatæ auxiliorum conditionatè dandorum, quam acceptionem admittit Gonet loco cit. Ar. 2. §. 1. & colligitur ex Aug.

loco quem cito 1. parte D. 4.) intelligi debeat humanorum actuum causa, & per nos enim, discernit aliquid prædestinationis auxilii, quamvis illud præscientia non explorarit, quæ per Faustum, explorare debuit consensum naturalem, quam explorationem consensus naturalis in opere salutis nos rejicimus. Sed juvat iteratò repetere, per quid id, quod dictum est Primæ parte, Disputatione 4. num. 37. per quidam scilicet distinguatur sententia nostra à sententia Semi-Pelagianorum.

Distinguitur imprimis, Objecto. Quia sententia conditionata, quæ Societas utitur in explicandis difficultatibus in opere salutis, habet pro objecto merita conditionata supernaturalia. Sententia autem Semi-Pelagianorum, utebatur scientiâ conditionatâ, habente pro objecto, merita naturalia. Expressit hoc Augustinus libro de Gratia & libero Arbitrio, cap. 6. *Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ipsa sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ex semetipso habere hominem dicant, prorsus necessario respondet apostolus: Quis enim te discernit?*

Distinguitur Secundo, Usu. Quia Semi-Pelagiani docebant pro meritis conditionatis aliquem præmiari, & pro demeritis conditionatis puniri, nostram autem nemo dicit, quod ob prævisionem conditionatam, sequatur absoluta collatio præmii vel penæ. Hanc mentem Augustinus Semi-Pelagianorum expressit de Prædestinatione Sanctorum cap. 12. *Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio: ut futura, quæ non sunt futura, puniantur aut honorantur merita parvulorum.* Idem habet ibidem cap. 14. *Si judicarentur homines pro meritis sua vite, quæ non habuerunt, morte præventi sed habituri essent, si viverent, nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Nihil prodesset ei, qui lapsi moriuntur, si ante morerentur: quod natus dicere Christianus audebit.* Idem habet epistola 105. describens Semi-Pelagianorum sententiam. *Quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit & mori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Eadem scientiâ utebantur Semi-Pelagiani, ut ostenderent, beneficium Prædestinationis non esse beneficium speciale condistinctum à reliquis gratiis, sed sufficere putabant ut salvetur quis, quod prævideantur opera illius bona ex gratia facta; ante quæ bona opera, præcesserit fides v. g. naturalis, vel alia opera bona naturalia. Et tamen nemo est ex Nostris, qui præter prævisionem bonorum supernaturalium non ponat decretum Dei Prædestinativum tanquam specialem Dei favorem, à reliquis gratiis condistinctum. Quod autem id senserint Semi-Pelagiani, ostendit id integerrimus liber S. Augustini, de Prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ.

Colli-